Lingua Darginensis

Lingua Darginensis[1] vel certius *Linguae Darginenses* est linguarum Caucasicarum Boreorientalium familia, quae usque ad finem saeculi XX pro una lingua Darginensi habebatur, sed hodie plus quam decem linguae, quorum loquentes unus alterum male vel minime intelligunt, notae sunt. Existit et *lingua Darginensis litteraria* unificata, lingua Darginensi septentrionali fundata, sed Dargines variis linguis Darginensibus loquentes inter se saepe lingua Russica nec Darginensi litteraria loquuntur.

Lingua Darginensis Дарган мез (Dargan mez)	
Taxinomia:	Linguae Caucasicae Linguae Caucasicae Boreorientales Linguae Daghestanicae **Linguae Darginenses**
Locutores:	485 705 (2010)
Sigla:	1 , 2 dar, 3 dar
Status publicus	
Officialis	Russia (Daghestania)
Privata	
Litterae:	Cyrillica
Scriptura:	Darginensis
Procuratio:	

Dargines linguis Darginensibus loquuntur. In Daghestania lingua Darginensis litteraria lingua officialis est, ubi plus quam 485 705 homines ea loquuntur. Praeterea diaspora Darginensis exsistit. Saeculo undevicesimo interdum litteris Arabicis Dargines scripserunt. Anno 1928 scriptura linguae Darginensis litterariae e litteris Latinis elaborata est, et post 1938 litteris Cyrillicis. Aliae linguae Darginenses scripturam non habent.

Notae

1. Cf. binomen *Inoceramus darginensis* (Haritonov 1975).

Bibliographia

- *Ю. Б. Коряков*. Лексикостатистическая классификация даргинских языков (http://lingvarium.org/koryakov/works/Korjakov-2012-Dargwa_Doklad2.pdf) (de differentia linguarum Darginensium) **(Russice)**
- Исаев М.-Ш. А. Русско-даргинский словарь. Machaczkalae 1988. (Lexicon Russo-Darginense, lingua Darginensis litteraria)

Nexus externi

- Lexicon Russo-Darginense (Исаев) (https://www.mekegi.com/dictionary/isaev/)
- Vicipaedia in lingua Darginensi litteraria (https://incubator.wikimedia.org/wiki/Wp/dar/Даргала_Википедия) apud *Incubatorem*